









LEGES  
PRO CONVICTORIBUS  
**M**ENSARVM  
COMMVNIVM,

IN COLLEGIO  
PAULINO ACADEMIAE  
LIPSIENSIS,

RECOGNITAE ET DENVO  
PUBLICATAE,

Die XIX. M. Augusti, Anno Christi

M. D C. XIII.



LIPSIÆ, TYPIS GROSIIANIS.



LEGGES  
PRO CONVICTORIBUS  
PENITENTIA  
COMMUNIVM  
IN COLLEGIO

**Aristot in Polit.**

ὅτι ἔστιν ἐπινομία, τὸ εὖ κείσθαι  
τῶν νόμων μὴ πείθεσθαι δέ.

M. D. C. XII

LIPSIÆ (L. V. G. ROSSII)







L E G E S.  
P R O C O N V I C T O R I B U S

*Mensarum Communium.*



RESCENTIBUS IN DIES  
TEMPORUM HORUM DIFFI-  
cultatibus, atq; augefcente Juvenils ætatis  
ferociâ & perversitate, ipsa necessitas no-  
bis imponit curam diligentis & accurati  
respectus ac animadversionis in eos, qui  
communium mensarum beneficio fruuntur, ut severiore  
disciplinâ eosdem regendo, ac petulantiam coercendo  
efficiamus, ut beneficia Illustris. munificentæ in homi-  
nes dignos & tales, de quibus bonæ frugis spes sit, confe-  
rantur. Quamobrem visum est, sequentibus capitibus de-  
finire, quinam deinceps ad usum dictarum mensarum ad-  
mitti debeant.

I.

*Quicumque cibum in hoc contubernio capere volet, eum  
ante omnia in doctrina Evangelica & religiosa pietatis, traditâ  
in scriptis Prophetis & Apostolicis, ac repetitâ in libro Christia-  
næ Concordiæ, breviterq; comprehensâ in Catechetica instituti-  
one D. Martini Lutheri, sacra memoria, nobiscum sincerè consen-  
tire, & conjunctum esse oportet. Ne igitur quisquam, nisi  
probè prius fidei exploratâ confessione, ad hoc commune  
recipiatur, Rector Academiæ (apud quem expectantes sua nomi-  
na in posterum profitebuntur) & Decemviri modis omnibus pro-  
videbunt.*

A

Hinc



## Leges pro convictoribus

### I I.

Hinc erga Illustriss. domum ac familiam Sax. istius, secundum DEUM, beneficij largitricem benignissimam, ad gratitudinem perpetuam, procurando illius commoda, & aver-tendo omnia incommoda, quantum in ipso est, se obligatum esse sciat, idq; tempore receptionis suae stipulat à manu sancte promittat.

### I I I.

Nomen quoque suum in libro Rectoris perscriptum esse, & praeceptorem secundum Academiae statuta se habere, & Collegium aliquod adium scholasticarum inhabitare, vel sciente & permittente Rectore, alibi in oppido degere, signeto Academiae & praeceptoris privati ejus, cui secundum statuta & illustriss. rescripta privatim docere licet, vel Professoris alicujus publ. testimonio demonstrabit, ac planum faciet, priusquam permissu Rectoris ab aëconomo recipiatur.

### I V.

Promittet etiam futurus convictor, se diligenter auditorum praedictiones publicas privatasq; ac disputationum, aliorumq; actuum solennium publice indictis conventibus, praecipue Ecclesiasticis illis, quibus singulis annis quater, & in Ferijs primarijs concio Latina habetur in Templo Paulino, & eleemosyna ad sacri ministerij conservationem offertur; tum in anniversarijs Parentationibus Divorum Principum Electorum; adhaec recitationi Legum & statutorum Academiae, introductioni ac commendationi Rectorum, frequenter & sedulo interfuturum. Sciantq; universi, caenaculum non prius apertum, nec cibum praebitum iri, quam ejusmodi conventus & congregationes publice finite fuerint.

Qui



Mensarum communium.

V.

Qui igitur receptus hoc modo communem mensam accedit, is pro uno minimum aut altero, vel etiam pluribus mensibus, si fieri potest, precium victus Oeconomus prænúmeret, sciatq; ita communibus sententijs constitutum firmiter esse, ut is, qui retinere locum in hoc convictu volet, deinceps singulis elapsis mensibus, sine morâ omni de novo precium in sequentes hebdomadas exolvat: vel sponsores fidedignos, in quibus acquiescere Oeconomus possit, constituat. Paratâ namq; illi pecuniâ opus est, ad victum facilius & minoris comparandum.

VI.

Quemadmodum verò æquum est, ad victum hunc publicum admitti cunctos (si ita res eorum & conditio ferat) qui pietatis & doctrinæ liberalis studijs sunt dediti in hac Academiâ; ante omnes autem alios, qui Electorali munificentia hinc sustentantur, quive alijs tenuioris fortunæ sunt, & tali subsidio maxime indigent: Sic ab eodem exclusos volumus omnes, qui sunt extranei, hoc est, alieni à Musis & liberalibus studijs; veluti sunt opifices qualescunque, mercatores & alij similes; quibus & illos adjungimus nostri Ordinis, qui vel accincti gladijs, vel indecenti atq; inusitato amicti vestimentorum genere incedunt; vel quovis alio monstroso corporis habitu, ferociam levitatemq; nostro ordine indignam præ se ferunt: quiq; ad pugnas ac conflictiones se mutuò provocant, aut provocati comparent, aut dimicationibus illis quoquo modo assistant, vel etiam spectandi gratiâ intersunt. Sed & eos prorsus in posterum excludimus, quos convictores hæctenus, ad occupanda absentium loca substituere ausi sunt; quod nemini deinceps (nisi concedente Rectore) permittetur. Si quis tamen fratrem aut popularem, videndi cœnaculi & cibationis ergo, secum ad mensam adducere volet, ei semel hoc facere, non iterum, aut sæpius, liceat.

A 3

Qui-



## Leges pro convictoribus

### VII.

Quicumq; à mensa aliquandiu abfuerit, eamq; œconomus apertè non resignaverit, ad precium is pro victu exolvendū non minùs teneri se sciat, ac si præsens affuisset. Debet etiam convictor, qui discessum parat, finitiseptimanis, pro quibus precium dedit, à mensa recedere, nec per dies insequentes plures illam accedere, prout hætenus perperam, turbatis hoc modo & implicatis œconomi rationibus, fieri consuevit.

### VIII.

Si quis verò clam hinc discedens, aut quocunq; modo se subducens, locum suum in convictu deseruerit, nec œconomus satisfecerit, talis secundum Academiae statuta ter de more ad valvas Collegiorum publicè citatus & admonitus, si non comparuerit, ac contumaciter emanserit, relegationis pœnâ & infamiâ se affectum iri certò sciat.

### IX.

Ad procurandum victui necessaria, dispensatore sive œconomus opus est. Hujus officium quàm sit difficile & laboriosum, hisce præsertim moribus & temporibus, minimè est obscurum. Par itaq; est, convictorum morigeratione & obsequio id potius allevari, quàm insolentia protervia & adversationibus exasperari. Nemini igitur ante cibationem in cellas, culinam, aliq; loca, in quibus ipsi nihil est negocij, sese ingerere, aut œconomus ejusdemq; operis & ministris, cibum apparantibus, molestiam exhibere ullam concessum esto. Quicumq; enim dicto factore eis molestus fuerit, contumeliâ injuriâ affecerit, is non solum mensa jacturam faciet: verum a Rectore, quoq; & Decemviris condignam, pro delicti magnitudine, pœnam & animadversionem sibi expectandam esse sciat. Quòd si quis fortè ab œconomus ipso, vel eidem adjunctis, quoquo modo laesum se existimat



### Mensarum communium.

existimat, is memor jurisjurandi præstiti de non vindicando se-  
ipsum, querelam ad Rectorem deferat, qui adhibitis Decemviris,  
cognitionem legitimam de illa suscepturus, jusq; & justitiam,  
pro re natâ, administraturus est.

#### X.

Post datum pulsu campanule signum, ac dum fores cœna-  
culi panduntur, sine tumultu & indecente strepitu ingredien-  
tur, locumq; sibi assignatum modeste & decenter (non abjectis  
aut depositis, ut à nonnullis hæctenus fieri consuevit, pallijs) sin-  
guli occupabunt. Ante & post cibum sumtum, cum pro alijs infi-  
nitis divinæ benignitatis, tum etiam pro beneficio hoc victus  
quotidiani seriò gratias DEO agant, & auxilium ac gubernati-  
onem ab ipso fonte omnis sapientiæ petant.

#### XI.

Cum preces dicuntur (id quod Lectoris officium deinceps,  
inter cætera, erit) attentos & modestos esse jubemus universos  
& singulos. Qui contrâ quidquam fecerit, is, tanquam nu-  
minis divini contemtor intolerabilis, à convictu statim repella-  
tur. Non enim solùm impium ad DEUM, sed etiam ad ho-  
mines turpe & nefas est, inter orandum & prælegendum è sug-  
gesto sacrarum literarum scripta, turbas dare quascunq;, &  
alijs esse offensionis scandalove. Visum igitur fuit hoc etjam  
monere, ne quis ante dictam gratiarum actionem discedat à Men-  
sâ; neve, cæteris orationi piæ & religiose vacantibus, vel tecto  
assideat capite, vel strepitum excitet, quadræ injiciendo catinis,  
garriendo, ridendo, bibendo, edendo, scalpendo, vel surgendo.  
Qui fecerit, severè punietur, nisi potius, ut à mensâ recedat,  
jubendus esse videatur. Lectorem etiam semper præsentem esse,  
ac munere suo, clarâ & distinctâ pronuntiatione, perfungi con-  
venit oportetq;.



## Leges pro convictoribus

### XII.

Factis precibus, dapiferos mensarum jubemus juxta harum ordines recipere, deportare & reportare patinas sine strepitu, & cum incessu moderato. Ad quod ministerium omnes, exceptis duntaxat senioribus, sese obligatos esse sciant. Nec prius ad alia fercula deferenda illi exurgant, quam vel œconomus, vel communitatis famulus signum pulsa dederint.

### XIII.

Carnem, aliaq; crassiora edulia, prius minutim in quadrâ incidere, mox addito pane, simul aliquandiu mandere, antequam in ventriculum trajiciantur, non solum ad morum civilitatem, sed ad bonam quoq; valetudinem pertinet: Sicuti monent, qui de salubritate corporum præcepta tradunt. Nec enim concoqui & evinci à ventriculo, non probè commansa, & prius velut extenuata ac emollita dentibus, possunt; ut rectè sensisse videatur Princ. Medicorum Avicenna, dum scribit: Qui vitam suam odit, cibos deglutiat incommansos. Fugienda igitur modis omnibus, homini præsertim literato, & vitam in otio degenti, vorax ista & lupina raptim vescendi consuetudo.

### XIV.

Quò autem major in convictu pudor & verecundia usurpetur: deligendi in singulis mensis singuli, qui nominentur Seniores. Hi tanquam Ephori, id est, inspectores & præsides, unâ cum œconomis, decori & modestiæ sint custodes, suisq; commensalibus bono exemplo præeant; in leges hæc peccantes, amice castigent, inq; viam reducere studeant: Contumaces & insanabiles, adhibito œconomis, magistratui Academico denuncient, neq; ad petulantiam ullius conniveant; ne & ipsos vel ab hoc munere, vel etiam mensâ removeri necesse sit.

Considera



## Mensarum communium.

### XV.

Considerare decet omnes, quae sit hoc nostro tempore rerum omnium ad vitam & victum necessariorum, non difficultas modo sed etiam penuria. Nemo igitur in hoc contubernio quicquam utensilium, ut sunt mantilia, mappa, patina, orbes, amphorae, rumpat, scindat, frangat, aut quovis modo corrumpat alienetue: Nemo item potus aut salis profusione temeraria, aut quavis aliaratione quidquam damni rebus communibus asserat. Idque ut diligenter in posterum observetur, imprimis Senioribus mensarum injungimus serio; qui & dehortabuntur convictores ab ista petulantia & nocendi libidine, & contumaciter delinquentes Magistratui denunciabunt, sub poena amissionis mensae.

### XVI.

Multo minus ferendus est puerorum, sive convictorum illi, vel quorumcumque aliorum famuli sint, praeforibus caenaculi & culinae promiscuus accursus, sive colluvies potius foeda, panes & suppellectilia suffragantium auferentiumque. Hos igitur ut domi relinquunt, detineantque singuli, qui Illustriss. hac munificentia gaudere cupiunt, serio mandamus. In his namque cunctis, famulorum delicta, dominos scire volumus, ipsis, quorum famuli sunt, luenda esse.

### XVII.

Computationes etiam, quae hactenus de pecunia ex multis, aliisque collectae, a nonnullis post cibum sumtum cum in caenaculo, tum extra hoc, in Collegiis fieri consueverunt, justis & gravibus de causis omnino tollimus, prohibemusque severissime: Et vetamus simul, fercula a quoquam efferi extra caenaculum, ad privatae convictorum Musea; quod a nonnullis, propter Symposia, hactenus factitatum accepimus. Quae res & oeconomio curae erit, ne tale quid fieri permittat; & convictoribus ipsis, ne quid  
A 5 hujus-



Leges pro convictoribus

hujusmodi flagitent ab œconomo; multò minùs per vim è publico loco cibos auferant. Pœna in delinquentes sancita est Mensæ privatio.

XVIII.

Quia verò partim ex Illustriss. munificentia, partim aliorum ordini nostro faventium liberalitate aliquot vasa cerevisiæ mensis donata sunt, in his epotandis eum servari modum placet, qui præsidi Collegij & œconomo, pro convictorum multitudine & temporis ratione commodissimus videbitur; quem à convictu nunquam abesse oportet. Nemo verò alium, qui vel negocijs advocatus, vel quòd potatione non delectetur, recedit, strepitu, sibilo, aliove gestu indecente quocunq; excipiat, quemadmodum hætenus indecentissimè fieri consuevit: Cùm reperti sint, qui non solum quadris ligneis, sed scamis quoq; & scilibus furiosorum instar mensas pulsarent ac concuterent.

XIX.

Leges peculiare mensarum, quibus hoc ferè tantum agitur, ut ad Symposia nummuli colligantur, prorsus antiquatas & sublatas volumus; Prohibemusq; severè, ne vel novitij convictores pro introitu, vel quicunq; alij, in dandis Natalitijs (quemadmodum hætenus perperam fieri consuevit) deinceps ullo modo graventur. Qui contra fecerint, in eos pœna remotionis à convictu publico constituta est.

XX.

Sunt quandoque hætenus, ut notius est, quàm expediat, excitata cùm in honestissimo hoc convictu turba & tumultuationes, tum in digressu ab eodem, in viciniam audita vociferationes ejusmodi, quæ extreme non solum dedecorant eos, qui  
Musarum



Mensarum communium.

Mensarum sacra colunt, ne dicamus, qui Christi sanctissimum  
ven profitentur, beluis magis quàm hominibus, mente ac ra-  
peditis convenientes : sed totum ordinem nostrum fœdis-  
labe aspergunt, deformant, contaminantq. Hanc igitur  
stande barbaria petulantiam hoc peculiari statuto prorsus  
interdictam & vetitam volumus : Constitutâ & san-  
citâ in violantes illud pœnâ exclusionis à con-  
victu in perpetuum.


F I N I S.



L I P S I Æ,

Imprimebat JUSTUS JANSONIUS Danus.







LIPSI  
Die X  
RECO  
PAU  
IN  
CO  
ME



4,22  
70  
62

